

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Argumenta Marsilii Ficini epistolas duodecim Platonis

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)



rumq; consideret, sed eum potius qui circuitus octo, & quomodo septem sub primo versentur, quove ordine circuitos suos singuli peragant. Quod nulla natura nisi mirabilis sit facile inquam inspiciet, ut modo diximus, et dicemus, declarantes quid oporteat et quomodo oporteat discere. Primo igitur id dicatur, quod Luna celerrime circuitum suum euoluit, atq; ita plenilunium primum & mensuram peragat. Sol deinde inspiciendus est, qui solstitia uersionesq; temporu circuitu efficit suo, præterea et qui una cum Sole currunt, considerandi. Deniq; ne eadem de eis dem sepius differamus, cursus omnes quos paulo antè respicimus, qui ne non facile intelliguntur, contemplari debemus, ita ut natura prius doctrinis ad hæc pertinentibus longo usu laboroq; a iuuentute, imò uero & a pueritia præparentur. Quo circa doctrinis quæ mathematicæ appellatur, opus est, primo uero ac maxime numeris, non is dico numeris qui corpus habent, sed qui omnem paris imparisue generatione atq; uirtutem, quæ ad perficiendam cognoscendamq; rerum naturam conferunt. Quibus perceptis illa deinceps, quam ridicule Geometriæ appellant, discenda est. Numeroru uero inter se natura dissimilium similitudo ad planoru partem relata clarescit. Quod quidem non humanu, sed diuinum miraculu, si quis plane intelligat, uideatur oportet. Post hanc numeri, qui in tres usq; dimensiones adauti sunt, nature solide similes, ac rursus dissimiles, alia quadam arte, stereometria uide licet huic simili, considerandi sunt: sed hanc quoq; qui in ea obiter versati sunt, Geometriam nominauerunt. Illud aut mirum diuinumq; intelligentibus est, quod cum rerum uirtus in duplo semper, & in suo opposito reuoluatur, in singulis proportionibus per genera speciesq; uniuersa natura formatur. Prima igitur dupli uirtus secundu numerum, per unu ad duo proportione procedit, duplu potentia possidens. Sed in solidu & tangibile rursus ab uno in octo dupli ratio proficiscitur, alio uero dupli in mediu: sed forte minore maius, & minus maiori equaliter. Verum aliud eadem parte extremitates excedit, ab eisq; exceditur. In medio uero senarij ad duodenarium numeru, sesquialtera, & sesquitercia emerfit proportio. horum in medio uis hmoi ab utraq; uersa cocinnum hominibus usum comodumq; attribuit, ludi & temporalis numeri cocentusq; gratia, choreæ musarum felici tributa. Hæc igitur ita fiant, et ita se habeant. horum finis est, ut ad diuinam generationem, et eorum quæ cernuntur oculis pulcherrimam diuinamq; naturam considerandam nos conferamus, quatenus hanc hominibus inspiciendam deos largitus est, quam nunquam siue dictis artibus assequemur. Ad hæc singula quæq; ad species suas, oia deniq; ad unu in disputationibus referenda, interrogando et arguendo, si qua minus recte dicantur. Recte. n. omnium pulcherrima & prima hominibus hmoi examinatio est. Vbi uero non talis reuera, sed simulata inquisitio est, frustra contenditur. Præterea temporum considerandus est ordo, quam exacte cælestia omnia perficit, ut quicumq; uere dictum fuisse crediderit antiquiorem diuinioremq; corpore animam esse, putet præclare sufficienterq; illud quoque esse dictum, deorum plena esse omnia, adeo ut superi neque obliuiscantur nostrarum rerum, neque nos deserant. Sed hoc in his omnibus aduertendum est, maxime illi qui recte perceperit, profutura: ei uero qui non recte,

deum inuocandū esse: Modus uero hic est (necesse enim est id quoque tangere) omnem linearum descriptionem, constitutionemq; numeri, & concentus rationem, circuitusq; astrorum conuenientiam, & quæ una cunctorum conspiratio est, perficere oportet ab eo qui modo congruo discit, perspicitur aut si quis quod dicimus ad unum recte respiciens discat. Num. n. horum omnium intelligenti vinculum apparebit. Qui uero aliter hæc adipisci studet, fortunam ut dicimus inuocet. Nunquam. n. absq; his natura in ciuitatibus ulla felix efficitur. Etenim hic modus est, hæc educatio, hæc disciplina. Per hæc itaque siue facilia siue difficilia sint, eundem. Nescias autem est deos negligere, quum felix oisum illorum doctrina omnibus recte ratione patuerit. Eum sane qui cuncta hæc ita percepit, uere sapientissimum appellamus. Quem ego et uoco & serio affirmo, cum diem suum obierit, non amplius multorum sensuum, ut nunc, sed unius sortis participare fore, unumq; de multis factu, felicem, sapientissimum atq; beatu, & siue quis in continenti, siue in insulis, seu publice seu priuatum uixerit, modo ita se gesserit, eadem a deo sortem reportari. Sed quod in principio diximus, nunc quoq; uerum nobis apparet, non posse homines præter paucissimos perfecte beatitudinem consequi. Quod quidem recte nobis assertum est. Nam qui diuini modestiq; simul, alijs uirtutibus natura præditi sunt, disciplinas præterea felices consecuti, quas diximus, is solūmodo satis ad felicitatem omnia se habere uidentur. Et igitur qui ita & priuatum & publice in his elaborauerunt, cum ad senectam peruenerint, maximos tradimagistratus iubemus, ceteros uero sequi, et deos simul deusq; laudare, ac cæcū nocturnu ad hanc sapientiam omnes diligenti examinatione peracta quam rectissime adhortari.

ARGUMENTA

MARSILII FICINI IN EPISTOLAS DVODECIM PLATONIS.

ARGUMENTVM IN EPISTOLAM PRIMAM.



ION. Syracusanus uir profectio magnus, Platonis non auditor solum, sed etiam imitator, a tyranno expulsus, & magno animo pecuniam quam miserat tyrannus, statim remittit: & ut potest Platonis, pro summa iniuria, summo quodam Dionysium afficit beneficio, tribus scilicet præceptis salutaribus ad monens. Primum est, principes non pecuniarum, sed amicorum defectu perire. Secundum, nullam potentiam maiorem esse bonorum prudentiumq; consensu. Tertium oportere errata præterita recognoscere, & quanto nobis detrimento sint augurari, quo a futuris delictis absterreamur.

ARGUMENTVM MARSILII FICINI IN EPISTOLAM SECUNDAM, QUÆ EST PLATONIS AD DIONYSIUM SICILIÆ TYRANNUM.

IN hæc epistola quam Plato scribit ad Dionysium iuniorem post primu ab eo discessum, & expulso Dione, quattuor sunt præcepta obseruanda: Primum quidem, quod ait magnam potentiam naturali quodam instinctu, atq; sapientiam sese inuicem petere, quo in unum congregiantur. Id quidem in diuinitate, in natura, in arte compertu habemus. Principio penes deum infinitam dei potentiam immensa sapientia comitatur. Quod hic sub Iouis et Promethei nomine indicat, Iouis quidem potentiam, Prometheum uero prouidentiam esse iudicans.

Nempè

Maximam ad  
Astronomiam  
naturæ consideranda  
homo natura  
na: quod  
no distanda.

Finis



Nempe diuinæ intelligentiæ fontem atque speculum eiusdem potentiæ esse putat. Siquidem & quia potest intelligere, iccirco intelligit, & potentiam eandem contemplatur intelligendo. Apparent & horum vestigia in natura. In his enim quæ naturaliter composita sunt, sive lapides & metalla, sive plantæ & animalia, imò & in primis in ipso celo, ita natura comparatum est, ut ex intima naturæ potentia naturaliq; vigore procedat ordo quidam tum in ipsis horum formis, tum in actionibus atque effectibus. Ordo vero eiusmodi extrinsecus evidens, interioriq; vigorem potentiæ comitans, sapientiam quandam præ se ferre videtur. Non enim aliter in progressibus ordinatis natura procedit, aliter sapientia: sed similis omnino est virtusque progressio. In arte quoque humana sive priuata, sive publica, similis quidam videtur potentiæ sapientiæq; congressus. Naturalis quidem ingenij, memoriæ, voluntatis virtus ad potentiam pertinet. Ex hac vero acquisita oritur sapientia, & in actionibus ipse ad sapientiam pertinens ordo seruatur. Huius autem mysterij diuinitate, natura, arte constantis, in consuetudine eleganti habemus exempla, quæ hic Plato recenset, in mutua videlicet potentum familiaritate, & quasi naturali quadam necessitudine. Quæ de re nos admonet calum, in quo planeta significatores principum his proximi sunt, qui significant sapientes. Nam & Iupiter Saturno est situ proximus, & Sol ferme à Mercurio non discedit. Morale igitur apud Platonem præceptum est: Principes sapientes honorent: sapientes libenter principibus consulant. Nam & sapientia absque potentia prodest paucis, & potentia remota sapientia obest multis. Potentia quidem ex pers sapientia quo maior est, eo perniciosior. Sapientia vero procul à potentia manca videtur. Docet hoc magnæ planetarum coniunctiones. Iupiter quidem dominus est: Saturnus vero philosophus. In profecto nisi coniungantur, nihil uel magnum, uel stabile moluntur. Felicem quidem familiaritatem Plato uult esse ex potente sapienteq; constatam. Felicissimam uero copulam, ubi utraque in eodem animo coniunguntur. In quo & ipsum Palladis sedet nomen, potentiam uia cum sapientia copulans. Pallas enim sola & artes callet simul, & vibrat hastam. Hæcenus de primo epistole huius mysterio dictum sit. Ad secundam iam pergamus. Animi bonitate excellentis, est gaudere bono, maxime uero diuino, hoc est amplissimo. Tale uero est, quod & quam plurimis, & quam diutissime prodest, cuiusmodi est uera uirtutis gloria ad doctrinam & mores tam posteris quam presentibus conferens. Hæc ergo uiri optimo ingenio præditi, duabus de causis maxime omnium delectantur: tum quia sicut intima uirtutis lucem amant, sic exteriorem quoque diligunt uirtutis splendorem: tum quia splendore hoc optant semper prodesse quam plurimis, & hoc certe perpetuo in genus humanum beneficio gaudent. Gaudent inquam, quatenus sentiunt. Quum uero sempiterna gloria studeant posteritati prodesse, sperantes uelidelicet, sicut nunc, ita & tunc splendore hoc & benesicium se gauisuros: profecto id se post hanc uitam per sensuros uaticinantur. Natura siquidem diuini instinctu ad tantum beneficium instigantur, non tam quia hoc ipso gaudent, quam ut gaudeant. Ac si multæ animalium species in ipsa uidorum escarumq; opera instigante natura non frustra futuro usui consulunt: multo minus diuinos animos sperantes se sempiterno quodam officio gauisuros, frustratur euentus. Eiusmodi uero uirtutis splendorem, & benesicium tam in doctrina quam in moribus his uerbis propheta Daniel comprehendit. Fulgebunt docti tanquam splendor firmamenti, & qui multos erudiant ad iustitiam, sicut flamma in perpetuas eternitates. In quibusdam uero animis à sua diuinitate degenerantibus, beneficium ueræ gloriæ studium uel extinguuntur, uel in uanam gloriam permutatur. Tertium epistole huius mysterium surgit altius. Sed quoniam in theologia, & in libro de Amore latius exposuimus, satis fuerit in presentia leuiter delibasse. Quando diligenter formas ab artifice factas consideramus, paulatim qua ratione factæ fuerint, animaduertimus: & quo rationes per quas efficit formas apprehendimus, facile per eas ad ipsas ideas artificiosæ mentis accedimus, ad quarum exemplar rationes suas ad formas direxit efficiendas. Quemadmodum uero in artificijs à formis ad rationes, ab his ad ideas, i. exemplaria proficiscimur: sic in ipso rerum ordine contemplando, pulcherrimas rerum formas cognoscimus artificiosissimis rationibus esse compositas: ac si rationibus, ergo ideis, i. exemplaribus, ad quorum similitudinem ipsa ratio formas producit in ordinem. Tres ergo in uniuerso sunt ordines, formarum scilicet & rationum, & idearum. Ordo quidem formarum quæ patent sensibus, ad animam ipsam mundi reducitur: quæ utique uelut principium motus, formas in materia generat, generat autem alias alijs rationibus atque sensibus. Hunc uero ordinem in anima rationum ad mentem redigimus animam altiore, à cuius ideis anima gubernandarum rerum suscipit rationes. Ordo denique idearum in mentem ab immen-

so & simplici diuini boni splendore descendit. Siquidem una hominibus idea bonorum, i. ipse deus, alias aliorum bonorum menti angelicæ ideas infundit. Quæ obrem tres rerum ordines ad tres principes fontemq; reducuntur. Ordo quidem formarum ad mundi animam, ordo uero rationum ad mentem angelicam, ordo denique idearum ad ipsum bonum. Et quia per ideas cuncta referuntur ad bonum, ideo Plato inquit: Circa omnium regem cuncta sunt, i. circa ipsum bonum sunt ideæ, perq; ideas omnia. Circa secundum, id est, mentem sunt secunda, i. rationes quæ sequuntur ideas. Circa tertium uero tertia, id est, circa animam mundi forme. Significauit autem deum esse rerum causam exemplarem, ubi dixit Circa. Item finalem, ubi ait, Eius gratia. Rursus efficientem, quando subiunxit, Ipse causa est pulchrorum omnium. quod enim nonnulla sint deforma, non ob id habent quod ab ipso sunt, sed quatenus ab eo degenerant. Neque mirum Platonem uideri uolunt, quod Plato quodlibet illorum trium principium nominauerit. Nominasse. n. similiter, sed non æque. Deum quidem per se unum bonumq; existere. Cum uero uitas bonitasq; amplissima sint, sequitur ut deus per se sit omnino. Mentem uero summam Deo proximam per deum esse, quatenus unum quiddam est & bonum: præterea & per se, quatenus mens est & ordo naturæ secundæ. Mundi denique animam producam quidem et ipsam à primo deo, quæ unum atque bonum. Producam quoque ab ipsa mente, quæ mens. Sed quæ per se mobile est, à se ipsa producta. Hucusque ait Plato procedere diuorum origines, uerumq; principia. Præterea animam nostram esse diuinam, quando addidit affectare diuina: uerum non comprehendere quantum afficit in ea quæ sibi cognita sunt, i. uel sensus, & sensibilia, uel formas horum obiectis conceptas ab anima. Hæc. n. omnia à diuinis longe diuersa sunt. unde animus in hæc aspiciens cogitur de diuinis aliter sentire, & promittere quam sint. Sequitur quartum mysterium de diuorum perceptione. Primo quidem ad inuestigationem diuorum non recte factam, id est non debitam, tum purificationis, tum disciplinam gradibus instructam, malorum esse omnium causam. Quia uidelicet qui sic inuestigant deum, tandem eo perueniunt, ut uel negent deum esse, uel de deo affirmant quæ non sunt dei. Hinc uera perit religio, extrinsecus mala omnia confluunt. Deinde ait stimulum inuestigationum diuorum esse malorum causam, i. si hoc abutatur, & omnino quomodocumque uitantur, non permittit presentibus oblectamentis frui, & hac in uita quiescere, altioribus anhelantes. Ne uero quid sibi uult, debet, nisi quis hunc ex animo stimulum eruat, ueritatem nunquam assequetur. Profecto negat ueritatem rerum à deo dependentium haberi posse, nisi ipsa de deo ueritas habeatur. Præterea per illa quæ mox subiungit, scito Platonem ipsum assidue in diuorum inuestigatione uersari consensisse, & qui Platonem primo audiebant diuina contemplantem, solitos sub nimio diuorum splendore protinus caligare, diuq; uexari, donec uidelicet mentem denique, tum ab affectibus sensuum, tum à phantasia imaginibus segregarent. quo quidem facto diuina quadam sorte, i. luce ueritate non prius inuentam reperiebant. Propterea Pythagoras quem Plato noster in omnibus ueneratur, sacra doctrinarum mysteria ab excellentissima expiatione mentis exordiebatur: præcipiebaturq; & Plato similiter præcipit, ne efferantur in uulgum, ne uulgus accepta peruerse uel contemnat, uel incidat in errores. Si enim in uulgum ediderit, deum nihil ex his quæ sentiuntur in se habere, uel te ridebunt, uel deum esse negabunt. Hinc illud Lysidis Pythagori ad Hipparchum: Haud piuum est, mysteria philosophiæ cum his cõmunia facere, qui ne somnare quidem purificationem animi potuerunt. Sunt præterea nonnulla mysteria theologorum circa deum, quæ non uulgum modo, uerum etiam elegantes plerosque fatigent. E quibus id unum est, nihil ex his quæ intelliguntur, absolute de deo affirmari dedere. Quicquid enim intelligentia definitum est, infra infinitum deum extare compellitur. Ad hæc itaque secretiora mysteria ita plerique docti adhuc sunt inepti, sicut & uulgus ad lenora, usque adeo ut etiam nonnulli quamuis acumine, memoria, iudicio ualeant, diuq; hæc audierint, nondum tamen perfecte comprehendat, quia uidelicet etsi ad alia quædam, tamen ad theologica nati non sunt: uel si nati, non tamen congruè ad hæc eruditi atque educati: uel si educati & eruditi, nondum tamen ætatis maturioris beneficio à perturbationibus segregati. Perturbatio uero, quia & motus, & per diuersa distrahunt, & ad materiam trahunt, iccirco alie nam reddit mentem à deo, quo nihil à motu, à diuersitate, à materia potest remotius cogitari. Non ergo iniuria Lysis Hipparchum sic admonuit: Operæ precium est recensere quantum temporis in abstergendis maculis, quæ nostris inuista pectoribus erant consumperimus, antequam præcepta Pythagoræ percipere digne possemus. Accedit ad hæc, quod si quis etiam tranquillo & erudito ad deum intellectu se conserat, ita ferme ab ipsa intelligentia



circa deum decipitur, quemadmodum & vulgus sensu imaginatio-  
neq; fallitur, & plerique docti perturbationibus repelluntur. Intel-  
ligentia enim pro natura sua iudicans, compellit nos deum ipsum,  
vel intellectum quendam, vel intelligibile quiddam asseuerare: Im-  
mensum verò bonum, neque intellectus est, qui velut egenus ad in-  
telligibile se vertit, tanquam bonum quo illustrante proficiat: neq;  
intelligibile est dicendū, quod quidem cōmūnem quādam cum intel-  
lectu naturam habet, per quam etiam proportionem habet cum in-  
telligentia congruam. At nulla est immenso bono ad finita bona na-  
tura cōmūnio, nulla proportio. Hinc in Parmenide probat nos neq;  
nomen, neque definitionem, neque scientiā habere de deo, ut potē qui  
sit super intelligentiā limites. Idem autē ipsum Mercurius asserit.  
Idem post ipsum Dionysius Areopagita, probans deum non esse dicē-  
dum ens atque intelligibile, sed super vtrūque. Quāobrem cum  
deus intellectum atque intelligibile infinito superet interuallo, nemo  
illa intelligentiā actione diuinā substantiam potest consequi, po-  
test tamen quandoque assequi passionē. Passione inquam benigna,  
per ipsam beneficam infiniti boni actionem nobis illatam. Illatam in-  
quam in vnitatem ipsam nostrā mentis caput, quando videlicet mēs  
in vnitatem suam, quā expressa est diuinā simplicitatis imago, to-  
tam vnitatem se collegerit. Verum quod menti vnitatem hanc indu-  
ta sub diuino Sole subruilul, tunc fermē abit, cum vnitatem exuta  
rursus induit multitudinem. Ex hā vtiq; patet ex Platonis nostri  
sententiā, diuinā à nobis non inueniri, sed potius desuper reuelari,  
neque mente comprehendī posse substantiam proprietatēq; diuino-  
rum, necum verbis & literis explicari. Ideoq; de his ea mente disse-  
rendum describendūq; ut per verba & literas exhortari & prae-  
parare animos ad diuinā speremus, potius quā demonstrare. Sic  
& Plato de substantiā proprietatēq; diuinā definitione scribit nihil.  
Scribit tamen multa, quā vel per negationes, vel per relationes,  
vel exhortando vel instruendo ad eū mentis statum quandoque per-  
ducant, cui tandem ex alto panditur domus omnipotentis Olympi.  
Vbi postquam se & ab inferioribus receperit ad seipsam, & à seipsa  
ad superiora conuerterit, statim vno quodam statu simplici ipsam  
vnitatem, stabilitatem, simplicitatem, ut ita loquar, attingit.  
Sed quā attingit, non licet apud Paulum hominū loqui, & apud  
Platonem multo minus licet scribere, ne detur sanctum canibus. Cū  
verò neque verbis neque literis in diuinorum explicatione confidat,  
tūtius tamen cōmittenda verbis censet quā literis. litera nāque  
cuius cōmūnia faciunt. Atqui & quā electissimis dicenda permit-  
tit. Omnino verò iudicat diuinorum dignitatem exigere, ut ex men-  
te in mentem verbis potius quā scribendo in exteriores materias tra-  
ducantur. Hac ratione Iudaei aiunt mysticum suae legis sensum ab  
ipso deo per Moysen non tam literis traditum, quā animis cōmen-  
datum. Sed hoc illi viderint. Pythagorici certē id obseruabant, &  
Plato seruauit. Nam & hic pollicetur nonnulla per Archedemum  
potius quā per literas se missurum. Asserit autē quā ab ipso scribitur  
tur, esse Socratis, cuius proprium in purificando erat officium. Sed  
cur additum est Socratem etiam & in iuuentute fuisse pulchrum. i. di-  
uinitus illustratum? Ut intelligamus Socratem tam educationis pri-  
mā perfectione quā naturā felicitate à deo per familiarem demō-  
nem mox accepisse quā ceteri vix tandem multis laboribus assequū-  
tur. Rursus mysteria eadem per diuinā reuelationem accepta in  
Platonem transfusa fuisse, & per Platonis exhortationes in homines  
similiter affectos posse transfundi. At ne quis me in hac expositione  
existimet somnare, audiendus est Proculus hac ita confirmans.  
His qui ad summū bonum peruenire cupiunt non scientiā & exerci-  
tatione ingenij opus est, sed firmitate, quiete, tranquillitate. Quā  
quidem diuinā fides est, quā nos ad summū bonum diuināq; omnia  
ineffabili ratione trahit atque coniungit. Profectō non per scientiā,  
aut actionem vllam ingenij exquirere summū bonum, aut ad ip-  
sum aspirare debemus, sed offerre cōmendareq; nos diuinā luci, &  
praeclusis sensibus in illa incognita & occulta entium vnitatem quie-  
scere. Hoc n. fidei genus omni doctrina antiquius est. Hac Procu-  
lum à Plotino accepisse constat. Si quis autē hac diligenter considera-  
uerit, non exigat à Platone in dialogis suis consuetum illum apud hu-  
manos disputatores ordinem doctrinalem, sed eo dumtaxat stylo con-  
tentus erit, qui rectiori tramite perducatur ad deum. Eiusmodi verò  
stylus siue ordo in purgando & conuertendo consistit. Oportet. n.  
mentis oculum & purgare à caliginosis materiā sordibus, & purga-  
tum in ipsam diuinā Solis lucem rite dirigere. Vltimus verò perqui-  
rere, aut contendere non oportet. Immensa. n. lux ubique praesens  
sua prorsus natura, creato ad ipsam mentis oculo, cum primū in  
eam purus rite respexerit, se infundit. Ac si ad suscipiendam deum  
intellectus assidue actione vritatur propria, quā & accidens quiddā  
est & multiplex, & modo quodam suo mobilis, profectō per ipsam  
a dei substantiā simplicissima, & ab omni motionis imagine remo-

tissima, quodammodo disjungitur. Sat ergo fuerit post conuenien-  
tem inquisitionem purificasse mentem, atque direxisse. Reliquum  
Mercurius sacro mentis silentio tribuit. Deum enim à mente suo quo-  
dam silentio potius quā sermone suo censet pronunciarī. Omnes  
itaque Platonis dialogi in hoc ipso versantur, & alij quidem in pur-  
gando solum, alij verò solum in conuertendo, alij in vtroque consti-  
stunt. Mytheria verò hac in epistola ad Syracusanos iterum confir-  
mantur. Atque hac confirmata mirum in modum praecepta euange-  
lica comprobant.

ARGUMENTVM IN  
tertiā epistolam.

Hac Platonis epistola scribitur ad Dionysium iuniorem post se-  
cundum Platonem ab eo discessum. Et primo quidem ad Diony-  
sij quæstia respondet: deinde calumniam in se à Dionysio constatam  
dissoluit. In responsione igitur ad quæstionem docet non esse in Deo  
voluptatem. Illam scilicet quā dolorem habet oppositum, & in mo-  
tu quodam, vel indigentia expletione versatur. Esse autem in Deo  
totum id bonum cuius causa bona videtur voluptas, non negat.  
Addit voluptatem, scilicet mobilem, esse causam detrimenti, scili-  
cet in pecunijs & honore. Item dolor in corpore. Rursus auferre  
acumen, memoriam, iudicium, grauitatem. Post hac contra Dio-  
nysij insimulationem probat se iustissimi de causis in Siciliam profe-  
ctum, de restituendis vrubus olim dirutis, ac de aqua gubernandi  
forma consilium manifeste dedisse.

ARGUMENTVM IN  
quartā epistolam.

Post Dionysium expulsū Tyrannide, scribit ad Dionem in pa-  
triam iam reuersum, admonens eum atque etiam Heraclidem  
& Theodotem ceterosq; amicos, penes quos rerum potestas erat, ut  
procul à tyrannide viueret, formamq; gubernandi teneret ex opti-  
matum gubernatione plurimum atque ex populari quodammodo tē-  
peratam. Sunt hic praecepta quaedam memoriæ commendanda. Pri-  
mum quidem ad principes proprie pertinere, cunctis excellere veri-  
tate, iustitia, magnificentiā, temperantiā. Omnino autē pruden-  
tia tantum ceteros superare, quantum viri pueros prudentiā super-  
ant. Secundum verò, oportere tales praestare seipos, quales uide-  
ri volunt. Tertium, circūspicere oculos omnium in se esse conuersos,  
ut meminerint, neque vitia sua latere posse, neque mediocri dunta-  
xat virtute se expectationi maximā satisfacturos. Quartum, pro-  
batissimos imitari legumlatōres, & discordiam inter collegas quasi  
pestem vitare. Quintum, meminisse cōmūnem beneuolentiā esse  
ad res agendas summopere necessariam. Hanc verò sola humanita-  
te comparari posse atque seruari.

ARGUMENTVM IN  
quintā epistolam.

Esti quintam hanc consuetudo quaedam Platoni inscribit episto-  
lam, videtur tamen potius esse Dionis Platonem in seipso totum  
pro viribus effingentis. Instruit autē Perdiccā principem constitu-  
tum in monarchia, ut meminerit se iuuenem esse, ideoq; consilio ac  
ministerio seniorum indigere, non quidem omnium, sed probatissimo-  
rum, non quauis in re, sed in gubernandi forma, qui intelligant,  
quid potissimum gubernationis cuiusque sit propriū, siue gubernet  
vnius, siue pauci, siue multi. Vocem verò gubernationis esse vult spū-  
ritum vitamq; eius, id est legem, quā officia & erga deum & er-  
ga homines congrua institueret debet & exequi. Alioqui salua esse  
non possit. At quoniam significat se & Euphremū disciplina Plato-  
nis imbutos, tenere quā ad ciuilem pertinent disciplinam, ideo ne  
Perdicas hac de re disideret: propterea quod Plato ipse nunquam  
populo suo in ciuili disciplina profuerit, subiungit Platonem cogno-  
uisse populum suum morbo insanabili laborare, ideoq; medicorum  
prudentem more noluisse, & frustra, & cum sui discrimine bestia  
insanabilem curandam suscipere.

ARGUMENTVM IN  
sextā epistolam.

Plato diuinus, Hermiam, Heraclē, Coriscum, finitimos inter se  
principes, ad uerissimā concordiam cohortatur, hac solu saluos  
fore uaticinās, perq; hanc aspirante deo, qui vnione gaudet, bona oīa  
cōsecuturos, praeter ea eō deniq; peruenturos, ut rebus rite cōpositis di-  
uinam sapientiā propensiori studio quā humanam, ut par est, pro-  
sequi valeant. Concordiam verò stabilem firmari inter illos posse



tradit pacto duntaxat atque lege: pacto inquam legitimo sacris rite peractis inuicem stabilito, ac iurando interposito, deum ipsum testando atque obsecrando tanquam unionis autorem atque seruatores. Testando inquam, & obsecrando sub impari, quo Deus gaudere dicitur, numero. Tria enim summa rerum principia, quae in prima quoque epistola attigit, hic adducit. Vbi enim ait, omnium ducentem praesentium atque futurorum, mundi animam vult intelligi, quae utpote principium motus, res oēs a futuro in praesens, a praesenti in praeteritum temporali ratione perducit. Vbi uero patrem dicit & dominum, summum Deum ipsumque bonum significat. Sed mediam inter duo haec mentem quandam diuinam videtur inferere, quando dum repetit dicit, subiungit & causae. Nam apud Platonem sepe rex significat ipsum bonum, causa uero mentem, dux denique animam. Et quoniam causam refert ad mentem, ideo in Timaeo Platonici disputant, Intellectum ipsius boni filium, mundi architectum proximum extitisse. De quo in Epinomide scribitur: Ratio diuinissima, sine diuinissimum uerbum, mundum visibilem exornabit. Appellat autem hic ipsum bonum, tum patrem, tum dominum: ut per primum quidem designaret mentis patrem, per secundum uero animae dominum. Ita forsitan Platonici numerus exponit. Ita quoque Platonici Christianus, sed Arrianus. Poterit & quistiam per ducem, sanctum spiritum intelligere, per mentem uero filium. Nam ubi Plato patrem dicit, filium pariter subintelligit. Ac si quis unam trium ponat essentiam, Platonici quidem multis uidebitur aduersari, Platoni tamen manifeste non repugnabit. Exhortatur autem ad grauiora simul studia doctrinarum, atque ad incuniores quasdam disciplinas his cognatas, scilicet eloquentiae, poesisque & musicae. Quibus omnibus eo consilio iubet incumbere, ut per haec quasi uestigia odorem diuinum inuestigantes, ipsum solum ament, & amando saporem insuper consequantur. Inquit ergo, si uere uel si ita deum philosophemur. i. uel amando inuestigemus, uel inuestigando amemus, ipsum denique omnes proculdubio cognoscemus. Profecto philosophiae nomen, etsi in designationem quandam praeseferre uidetur, amorem tamen fert proprie amatoriamque indaginem. Cognouit ergo Pythagoras, cognouit & Plato aliter nos habere ad finita bona, aliter ad infinitum bonum: & finita quidem bona cognosci a nobis priusquam amentur, & ut cognoscantur amanda: infinitum uero amari antequam cognoscatur, neque tantum ut cognoscatur, quantum ut ametur, inuestigandum. At cur amandum prius quam intelligatur? Quia uidelicet amor amantem transferens in amatum, quod proportioni deest, transformante supplet affectu. Nōne Deus in sacris, ignis sepe cognominatur? Eadem ergo metaphorica uenia, angelus quidem corpus diaphanum, anima uero opacum corpus cognominetur, quā diu uidelicet caeco hoc carcere clauditur. Itaque quemadmodum sub igne corpus diaphanum. i. perspicuum, uelut aer, & aqua subito lumen & extra & intus admittit: terrena uero corpora uehementer calefacienda sunt prius, & calore in diaphani similitudinem prius extenuanda quam igneam suscipiant lucem: sic spiritus a corpore segregati, diuinum lumen subito capiunt: spiritus uero terrenis comitibus corporibus transformantis amoris incendio indigent, quo quidem purgati, & in diuinam translati similitudinem, diuinitus tandem splendore scientiae collustrantur. Hinc Porphyrius ait. Inquisitio quidem diuinorum purificat animum, amor uero deificat. Proprium enim sic exprimit uerbo, neque id quidem iniuria. nam & nulla materia ex eo fit ignis quod lumen, sed ex eo quod calorem suscipiat igneum. Platonica ergo sententia est, inuestiganda esse diuina, scilicet illa esse, & qualia quoque sint communi quadam perceptione: sed interim non communi, sed singulari incomparabili; charitate amanda: sic enim duntaxat ea nos alicubi aperte quid sint, intelligere posse atque fore beatos. Quantum uero hac sacris consonent literis, nemo nisi prophanus ignorat.

ARGUMENTVM IN  
septimam epistolam.

Septima epistola Platonis est ad propinquos amicosque Dionis scripta, iam liberata per Dionem patriam, & inique occiso Dione. Verum ut multa ad historiam pertinentia, tum in hac epistola, tum in alijs plane intelligantur, paulo altius repetendum. Plato ter Syracusis profectus est: Semel quidem superioris Dionysij tempore quadraginta aetatis annos natus. Bis uero postea iunioris Dionysio tyrannidem obtinente. Quid autem in singulis profectioibus egerit, aut qua de causa profectus sit, partim in ipsa eius uita a nobis scripta, partim in his apparet epistolis. Dio uero ex eadem familia qua & Dionysius fuisse uidetur: affinitate insuper cum illo uarie implicatus. Quoniam Dionis sororem Aristomachen superior in matrimonio Dionysius habebat. At ipse Dionysij filiam, nomine Aretiam,

habebat uxorem. Dionysius autem iunior non ex sorore Dionis, sed ex alia uxore natus erat, nomine Dorade. Prima profectioe Dio auditor Platonis effectus, uita ad uirtutem traduxit, & concupiscentia cepit publicum patriae bonum. Itaque defuncto Dionysio seniore, quem iunior Dionysius in tyrannidem successisset, ac puer adhuc fere consilio Dionis gubernaretur, optans Dio ipsum in philosophiae uita cupiditatem traducere, Platonem multis reuocacionibus Syracusis uocauit, ac Dionysium ut accersiret, induxit. Paruit ergo Plato hac in primis spe ductus, se suis consilijs effecturum, ut illic ex tyrannide respub. fieret aut regnum. Sed quarto fere post Platonis accessum mense Dionysius falsis adductus calumnijs, Dionem quasi tyrannidem insidiantem expulit. Platonem tamen libenter amplectebatur. At Plato indignatus re infecta in patriam rediit. Tertio accessit, Dionem Dionysio reconciliaturus, & ab utroque iterum atque iterum obsecratus, rogatus etiam ab Archita & Archedemo Pythagoricis, nobilibusque permultis. Tunc & Dionis reuocacionem pollicitus est Dionysius, & optimam insuper gubernandi formam se seruaturum. Sed nihil eorum quae pollicitus fuerat, praestitit. Cum uero Plato palam Dionysium redargueret, quod fessisset fidem, tum se hi de reuocando Dione, tum Theodoti suo de Heraclide seruando, insensum deinde habuit Dionysium. Itaque in summo uiuebat discrimine, ne a militibus interficeretur. Sed Architas Tarentinus Salmiscum oratorem misit ad Dionysium uia cum nauis, rogans ut Platonem dimitteret. Ille cum dimisit, ac praebuit comeatum. Plato in patriam rediit sospes. Dionysium paulo post Dio clam collectis copijs, Syracusisque profectus expulit, Syracusanis reddita libertate. Ipse uero paulo post dolo suorum inuidiaque interficitur: Post haec Hipparinus Dionis filius, & Hipparinus Dionysij frater, Dionis ex sorore nepos, Syracusis tenentes consilio nobilium freti de honorabili gubernandi forma deliberabant. Interea Dionysius hostibus conuictus redire in principatum conabatur. Plato igitur ad hos scribit, cohortans eos & instruens ad optimam speciem gubernandi, id est, regni parens legibus, & optimam auctoritate suffultum. Sparsim uero praecipua eiusmodi ex hac epistola colliguntur. Non est alienum a bono ingenio optare gubernacula reip. praesertim quando necessitas postulat. a bono enim alienum est optare haec cum omni licentia obtinere. Non est prudentis temere publicis se negotijs implicare: praesertim ubi absque salutis publicae spe periculum subeatur. Sola philosophia in re tam publica, quam priuata quid bonum iustumque sit, quid non sit eiusmodi, potest discernere. Humanum genus non prius desinet in malis uerari, quam aut philosophi dominentur, aut qui dominantur, Deo illustrante philosophentur. Delicata luxuriosaque educatio ingenia uel diuina deprauat. Nullus intemperans potest esse prudens. Ciuitas in qua ciues incontinentes sunt, nulla legum potentia contineri potest, quin frequentes mutationes, ac semper in deterius patiatur. Violentia neque patriae, neque parentibus inferenda, sed utrisque procul a uolentia consulendum. Auctoritas antiquorum sacrorumque sermonum ceteris opinionibus anteponenda est. Bono uero nihil mali potest contingere. Anima ab hoc corpore seuncta sub diuini iudicis sententia scelerum luit poenas. Praestit grauisimas iniurias pati quam inferre. Auari atque intemperati, ad res diuinas caeci, surdi que sunt, adeo ut neque ipsi uideant, neque ab alijs uel audire sustineant, uel auditas percipiant. Impietas omnibus peccatis mixta est, atque uicissim. Impietas ipsa mixta peccatis, stimulus est quo praecipue peccatores tum in hac uita sollicitantur, tum in altera cruciantur. Post haec ubi de consuetudine sua cum Dionysio, ac de philosophiae studio scribit, probat neminem in philosophia aliquid profecturum, nisi amore sapientiae accensus, oēs eius gratia & labores sustineat, & oblectamenta contemnat. Tum uero quoniam sapientis est contemplari diuina, opportune ostendit diuina, neque literis inquam uulgo, neque uerbis exprimi posse, imò etiam non debere. Non posse quidem, quia quod maius est, neque etiam mente omnino comprehenduntur. Non debere etiam, quia & qui in plebe infimi sunt, tanquam monstruosa riderent: & qui paulo in plebe superiores, his auditis uel in haeresim falsam inciderent, uel ob leuem quandam altiorum rerum opinionem uani supra modum contentiosique euaderent. Non inquit Plato usquam nihil ueri certique diuinis intelligi posse: sed neque posse exprimi, quod de his intelligitur: neque propriam horum ueritatem intelligi eadem ratione qua cetera. Formae quidem aliae omnino sunt coniunctae corporibus, aliae penitus segregatae. Illae naturales, haec diuinae uocantur. Sunt & mediae coniunctae quidem quodammodo, & quodammodo separabiles, id est rationales animae, inter diuinae & naturalia mediae. Quae quatenus corporibus coniunctae sunt, eatenus a diuinis necessario disunguntur. Coniungi enim formis a materia separatis, nisi separatione non possunt. Separantur autem in materia duobus praecipue modis, tum morali purgatione, tum resolutione contentiuat.



Philosophiæ studium utrunque facit: & quemadmodum qui humi- dum lignum excecat prius sole, deinde admouet igni, occasionem quidem ligno prebet, ut accendatur, neque tamen ipse, sed ignis ac- cendit lignum: ita studium philosophicum & per moralem discipli- nam, & purificando preparat animam ad diuina, & per contem- platiuam resoluendo admouet mentem diuinis atque coniungit: ne- que tamen ipsum diuina veritate format mentem, sed deus ipse ignis instar mentem quasi materiam philosophiæ beneficio paratam, & propinquantem veritatis suæ luce perlustrat. Plato igitur cum di- xisset diuina neque literis, neque verbis exprimi posse, significauit præterea, neque posse doceri vel inueniri eadem ratione qua cetera. In alijs enim percipiendis inquisito nostra intellectu & parat & format: cum tamen in diuinis percipiendis inquisitio vel purgati- ma atque eminentissima parat quidem, sed non format. Idcirco in- quit opus esse diurna cum diuinis consuetudine, significans specula- tionis assiduitatem: item vitæ coniunctione, siue comunione, signifi- cans purificationem morali disciplina perfectam. Addit in mentem denique sic affectam non paulatim quidem humano quodam amore, sed subito lumen veritatis accendi. Sed vnde nam? ab igne. i. deo, prosiiente siue scintillante. Per scintillas designat ideas exempla re- rum in mente diuina. Designat & formulas idearum nobis ingeni- tas. Quæ per desideria olim consopite, excitantur ventulante do-ctrina, atque velut oculorum radij emicantes, ideis velut stellaru- radijs collustrantur. Subdit eiusmodi lumen non accendi solum, sed fieri in anima, ut ostendat tum formulas esse innatas anime, tum splendorem eiusmodi familiarem euadere. Ac ne putes in eo statu mentem ambiguam sollicitamque esse, addidit: Seipsum iam alit, id est lumen hoc primum diuinitus in mente accensum, deinceps sua vir- tute diuinorum haurit copiam radiorum, atque almo mentem gau- dio complet. Hic animus seipsum nutrit, id est nihil quærens extrin- secus riuat in seipso contentus, & quam beate intus afficiatur, eisi velit, nequit tamen, & nescit exprimere. Plato quinque in hac cõ- templatione meditatur gradus, quos in theologia legito diligentius à nobis expositos. Iubet enim cupidum veritatis, tum per auditum ab ipso rei nomine, tum per visum aliosque sensus à rei ipsius acciden- tibus ad ipsam rei definitionem procedere, per hanc ad formulam rei innatam menti, per formulam denique ad ideam tam formula- rum quam rerum procreatricem. Docetque interea ideam à reliquis longe differre, quattuor præcipue modis. Quia scilicet idea substan- tia est, simplex, immobilis, contrario non permixta. Reliqua verò quattuor, id est, nomen & accidentale simulacrum & definitio & formulæ notio, à substantia, simplicitate, stabilitate, puritate ideæ degenerans. Idcirco haud sufficienter ideam nobis imprimunt, sed ad diuinam impressionem nos, utique possunt, accommodant. Deumque mens impressa diuinitus, si quando studeat idearum chara- cteres verbis literisque exprimere, pulcherrimarum rerum deformes reddet imagines. Verum si crediderit Pythagoricis, non tam contẽ- det ut depingat ideas, quam ut audientium animos excolat, ac ue- lut tabellas expoliat, quibus tandem diuina formæ diuino digito de- pingantur. Ipsa sane celestes suspiciens radios, non conabitur apud cæcos radiorum formas frustra describere, imò si insanabiles sint, di- mittet: si sanabiles, ditaxat purgare aciem aggredietur, sursumque erigere, utpote quæ intelligat alio se pacto frustra laboraturum.

ARGUMENTVM IN epistolam octauam.

IN superiori epistola principes Syracusanos instituens, latius in- comibus, præceptis, & in rebus à se Dionis gestis uersatus est. In hac verò propria iam instituta breuioribus comprehendit, medijs semper inter viuis ac populi gubernationem obtinens, maxime verò omnium studens, ut conciliantur ciues potius quam expellantur, & quantum fieri potest sine aliena iniuria reipublicæ status rite sta- bilitur. Mox in principio asserit homines impio scelere pollutos in- sanabiles esse, neque his vllum consilium profuturum. Item omni- bus in rebus & dicendis, & cogitandis à deo principium facien- dum. In tota verò epistola obseruabis quam cautus simul & cle- mens gubernator sit Plato, quamue diligens animorum concilia- tor. Comprobat ut sui mori est, gubernationem Lacedæmonie si- milem. In qua plurimum sit optimum, sit quoque regia quædam forma, sit & populare nonnihil. Damnat extremam seruitutem, per quam omnia libidini humanæ subduntur. Improbat & extre- mam libertatem siue licentiam, in qua quilibet ferme absque dele- tu soluitur reipublicæ gubernacula. Medium verò probat. Nota aureum dictum, Moderata seruitus est, qua seruitur deo, immode- rata qua hominibus. Temperatis quidem hominibus lex deus est, intemperatis verò libido.

ARGUMENTVM IN nonam epistolam.

IN epistola ad Architam philosophum publicis rebus occupatissi- mum, consilium dat contemplanti, ne honestam simul & neces- sariam deferat actionem. Prodesse enim hominibus & publicè et priuatim, actionem honestam vocat & necessariam. Honestam qui- dem, quia quemadmodum quodlibet corporis membrum nõ suipsius tantum est, sed aliorum etiam, maxime verò totius, ita homines alijs aliorum sunt, ac potissimum speciei. Necessariam verò, quia, & nisi alijs vixeris, non potes tibi viuere, et nisi domesticis patriæque succurreris, res profecto familiaris & publica vel destituta guber- natore nutabit, vel à deterioribus gubernata periclitabitur, ac de- nuque faciet naufragium.

ARGUMENTVM IN decimam epistolam.

ARistodemum Dionis familiarem elegantia morum in primis philosophantem, in sua opinione & vita confirmat, asserens substantiam quidem philosophiæ moralem virtutem esse, quod & nomen ipsum declarat, amore quadam cultuque definitum. Specula- tiones verò humanas esse uel ornamenta quædam philosophiæ extrin- seca, vel vias ad ipsam mentis firmam puritatem quæ ad mores per- tineat, comparandam. Quæ comparata diuina potius quam huma- na: & infusa desuper potius quam acquisita, sequitur contempla- tio: ad quam speculatio illa prior si conferatur, ludus quidam à Pla- tone cognominatur. Id autem Pythagoræ Socratisque maximum est præceptum. Vbi verò ornamenta traducimus, Græcum vocabulum ornamentum significat arguere & cuidam vanitati & superbiæ mi- xtum. Quasi dicat, Scientia instat, charitas ædificat. Item, In maleuolam animam sapientia non intrabit. Sinceritatem quidem siue sanitatem ponit in animo simplici & tranquillo: fidem verò in verbis: firmitatem denique in gestibus atque actionibus.

ARGUMENTVM IN undecimam epistolam.

PRincipi Laodamanti de gubernatione optima consultanti con- sultum illud suum dat consilium, leges quidem omnes fore va- nas, nisi præterea probatissimi viri per quos viuunt leges ingentem in republica habuerint potestatem, ac nisi constitutus sit magistratus quidam in ciuitate, & is quidem maxima cum autoritate, qui morum censor per exploratores singulorum actiones diligenter ob- seruet, ad id semper intentus, ut quotidiana ciuium vita animos ad fortitudinem temperantiæque perducatur.

ARGUMENTVM IN duodecimam epistolam.

EPistola duodecima nobis argumento est, quàm liberalis & sim- plex Plato fuerit: utpote qui secretiora quædam commentaria sua nondum absoluta Archite crediderit. Argumentum quoque id est, Architam non minus moribus quam verbis philosophantem, dignum fuisse cui charissima quæque commoda traderentur. Fortè verò com- mentaria hæc ad explendum Critian non absolutum, & ad conscri- bendum Hermocratem nondum compositum pertinebāt. Epistolam verò ad Dionysium quæ ab ignorantibus his adiungitur, ideo nõ tra- duximus, quia & ipsa epistolæ verba, & docti omnes negant esse Platonis. Est autem operæ præciam in his epistolis animaduertere, quam magno & constanti animo Plato noster, præsertim in amicorum rebus fuerit, & quàm grauiæ sape discrimi-

na pro amici salute subiecit. Præterea quam libe- re atque benigne tyrannum sæpius corri- puerit, ab adulatione quidem maxime omnium alienus, charitate ve- ro atque officio nemini cedens, ut non mi- nus vita & mori- bus quam disputa- tionibus conducere nobis pos- sit ad bene beatæque viuendum.